EPISTOLA


EMINENTISSIMI

CARDINALIS NOALLII

ARCHIEPISCOPI PARISIENSIS,

Ad Illustrissimum Aginnensis
Ecclesiæ Antistitem.





PARISIIS,

Apud Viduam FRANCISCI MUGUET Regis, & Cleri Gallicani, nec non Eminentissimi Cardinalis Noallii, primi Typographi.

MDCCXII.





EPISTOLA

EMINENTISSIMI

CARDINALIS NOALLII

ARCHIEPISCOPI PARISIENSIS,

Ad Illustrissimum Aginnensis Ecclesiæ Antistitem.



ET si calumniæ quas adversùm me jampridèm certi homines in vulgus ingerunt, ponderis adhuc nihil apud bonos omnes, multò minùs apud te, Præsul illustrissime, qui animi mei sensa, vitæque meæ rationem nosti penitùs, habuerint: tamèn operæ pretium fore duxi, si, quo anxiam eorum, qui me verè amant, sedarem sollicitudinem de præsenti negotio, quod omnium sermone celebratur, scriberem non-nihil & explanarem; atque ut illud ad te mittam imprimìs, jure quodam videntur reposcere, cùm mihi multis abhinc annis insita de te existimatio, tuaque erga me fides ac benevolentia singularis; tùm fortis ille animus, quo & Episcopalis dignitatis decus, & causæ æquitatem meæ tuitus es adversùs eos Antistites, qui mihi tàm publicè quàm sine causâ insultarunt.

Equidem aliquandiù cogitavi mihi præstabiliùs

esse tantam injuriam silentio pati :, eò me sponte mens ferebat mea impulsum exemplo præsertìm divi Basilii *, qui errorum insimulatus scripsit ad amicum quemdam, sibi visum esse omninò silere, mosque contra se tumultus animo æquo potiùs excipere, quàm ejusmodi adversariis repugnare, qui pro justis armis adhiberent calumnias. Ut autèm splendidum illud Ecclesiæ Lumen ex amicorum posteá consiliis intellexit proditum iri ab se veritatem, nisi calumniatoribus silentium, cum posset, imponeret; ita me quoque facere æquum est; saltèm ut omnes resciant, abundè mihi suppetere, undè conviciatoribus meis os obtrudatur, illorumque in me doli mali, ac fraudulenta consilia in lucem proferantur.

* Epist 80. ad Eust. Edit. Parif. 1638.

Et sanè quod illi contra me moliuntur, nihil ferè discrepat ab eo quod olìm ab accusatoribus suis magnus ille Basilius * perpessus est; qui scitè illos dicebat esse similes lupi fabulosi litem agno intendentis; quandò quidem & illi varias jurgii causas & convicia, si minùs prima succederent, aliis alia congerebant, usque dùm nacti demùm aliquod probabile, possent in prædam suam irruere, eamque sine invidiâ deglutire.

* Ibidem.

An non iisdem ego nunc propè artibus lacessor? Puderet sanè adversarios meos, si me odisse gratis & vexare viderentur: ut igitur odium in me suum verisimiliùs exerceant, errores mihi imputant, me Jansenistam, aut Jansenistarum fautorem esse volunt.

Frustrà iterùm atque iterùm contestor neutram in me cadere harumce criminationum: me sempèr ac toto animo quinque Propositiones damnasse: nudè ac simplicitèr Apostolicis quibuslibet Constitutionibus subscripsisse, me deniquè tùm de facto tùm de jure esse planè Ecclesiæ obtemperantem. Nequicquam intimos hosce meos sensus argumentis certissimis, & usque recentibus comprobavi.

Quid enim? emissa per me est in publicum egregia

demortui Meldensis Antistitis Epistola, quamnondùm Episcopus, ad Regii Portûs in Campis Sanctimoniales scripserat: additum est eidem ab ipso me die 15. Aprilis 1709. Mandatum eamdem Epistolam confirmans, in quo quæ mea sit de formularii subscriptione sententia, & voluntas, potentèr ac dilucidè pronuncio: aliam idem ego scripsi Epistolam die 12. Decemb. 1710. ad quinque Virgines ejusdem Monasterii quæ in suâ pertinaciâ usquè perstabant, quarum duæ tamèn lectis litteris meis ad se reversæ, quod debebant Ecclesiæ obsequium præstiterunt. His accessit novissimum illud meum die 28. Aprilis 1711. Decretum, in quo quæcumque contra Jansenismum ex hac Parisiensi Sede vulgavi, commemoro, ac rursùs confirmo. His, inquam, tot & tantis rerum momentis fidei meæ testibus, adversarii non moventur. Expedit illis esse me Jansenistam: quidquid contrà dicam, quidquid contrà moliar: necessè est esse me Jansenistam.

Quâ verò de causâ hanc de me opinionem spargant in vulgus non te fugit Præsul Illustrissime. Nimirùm sexdecim & ampliùs ab hinc annis Catalaunensis Episcopus, *Morales* in novum testamentum, ut vocant, *Reflexiones* approbavi; hinc fons, & origo sparsarum ubique de me contumeliarum: atque, ut fere fit jus fasque abrumpi, ubi quis vel putat, vel videri vult, obsequium se præstare Deo; nihil adversum mihi relictum est; non malignitati cogitationum, non suspicionum injustitiæ parcitum, non temeritati judiciorum; effrænes inde linguæ in me debacchatæ sunt, armati in me protervi calami, eò demùm non sine maximâ Religionis offensione, venerunt audaciæ, ut apertè me fautorem hæreseos perhibeant, & eum qui in hac Sede Principe famosum illum referam, Eusebium è Nicomediâ, Nestorium Constantinopolitanum aut Photium execrandi illius authorem schismatis, maximique perniciem atque excidium Imperii.

Mihi igitur illud unum incumbit, ut super hac

meâ *Moralium Reflexionum* comprobatione mentem meam aperiam:quod quamvis jam sæpiùs cum viris ut in sublimi dignitate constitutis, sic virtutum splendore maximè reverendis, tamèn idem facere rursùs, ubi res postulabit, nunquàm abnuam.

Atque utinám liceret hæc tecum præsente loqui, quæ multis aliis jàm anteà sum locutus! Sed quoniam locorum obstant intervalla; hæc, quibus non indiges, scribo non tàm tibi qui me nosti, quàm aliis qui quid sit id negotii ignorant, quibus velim quid sentiam aperias.

His addam quoque quâ veluti rerum serie non sine divinâ Providentiâ fuerim adductus ut paterer ad verticem illius libri, de quo agitur, unà cum decessoris mei Catalaunensis Episcopi Mandato præfigi alterum à me Mandatum, quod visum est adversariis comprobationis nomine insignire. Brevis erit, etsi paulò altiùs repetatur, narratio.

Divus Paulus laudi sibi ducebat quod probatissimæ inter Judæos sectæ puer adhæsisset, fuissetque ad pedes Gamalielis in Religione eruditus; ita mè quoque juvat confiteri à primâ juventute ad Ecclesiasticum statum fuisse à doctissimo Patre *Amelote* informatum, quo tùm studiorum moderatore utebar, quique quàm fuerit infensus Jansenismo, fugit omnino neminem.

Optimi illius sacerdotis consilia secutus, divorum Augustini ac Thomæ placita sum amplexus; neque erit unquam, ut tantorum Doctorum & haberi, & esse Discipulus erubescam. Ità factum est ut, ipsâ, quodammodo naturâ duce, Doctrinam Molinæ opinionibus contrariam exsugerem. Novi quæ mens, quive animus debeat esse veri Pastoris & quàm latè patens. Doceri patientèr fero quod Ecclesia censet esse tolerandum; nemini sum idcircò molestus, nemini facesso negotium hoc solo nomine quod Molinista sit. Utor quotidie in regendâ, cujus mihi imposita cura est, maximâ Diœcesi, auxilio virorum

qui dicuntur, & sunt, me probè sciente, Molinistæ; modò ne ista vox sonet operarios in regimine animarum dissolutos, & morum pravitati indulgentes.

Sed enim quam aliis concedo licentiam, eamdem, ne quid dicam majùs, æquum esset mihi vicissìm dari. Sic certè persuasum habeo intèr cæteras officii mei partes, debere me pro virili impedire, nec ubi Molinismus tanquam Fidei dogma tradatur. Meum est Theologorum tueri libertatem: non patiar unquàm illis imponi jugum, quod ne ipsa quidem generalia Concilia imposuerunt. Nulla me res unquam divellet à sapientissimâ illius Antiqui sententiâ. *In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus charitas.*

Jam antè præceperam animo, & nimiùm hactenùs expertus sum, qualium hominum invidiam in me hac ratione concitarem. Suspiciones iniquæ, cæcæ ac subdolæ molitiones, contumeliosæ denunciationes, & his diebus erumpentes in me odiorum motus, totidem præmia sunt, & fructus studii illius quo me adversarii sciunt adhærescere veritati; neque enim verebor hoc nomine appellare quam sequor Doctrinam, quam sancta Sedes, duce Scripturâ, & traditione gravissimè confirmavit, cuique semper favit apertissimè. Verbo dicam, si qui divorum Augustini, & Thomæ Doctrinam accuratè, & secundùm litteram tenebit, continuò Jansenista, fautor-ve dicitur Jansenistarum; profiteor me, quidquid indè eveniat, illo sensu, quandiù manebit hæc vita, Jansenistam futurum, fautoremve, ut libet, Jansenistarum; hancque certissimam mihi spem esse, fore ut aliquandò à Christo judicante recipiam illam mercedem, quæ præstò est diligentibus veritatem. Sic ferè novatores, dicet aliquis, loquuntur; seque gloriantur esse sanctorum Augustini ac Thomæ Discipulos. At, reponit idem Augustinus, non ideò pellem oves debent suam exuere, quod ovinam induant lupi pellem.

Minimè novum est id quod dico, idem mihi totâ vitâ ut sensus sic sermo fuit; si quid est inter præteritum, & præsens tempus discriminis, indè nascitur, quòd primis illis temporibus nihil erat in me quod quisquam reprehenderet, hodiernis autem, authores turbarum ambagibus student implicare negotium, ut, quod olìm sine suspicione criminis erat, hodiè fiat maximè criminosum.

Citabo testem hujus rei longè locupletissimum. Decretum nimirùm illud quod nupèr Parisiensis Antistes, anno 1696. promulgavi: quo in Decreto nùm alienam indui personam? nùm obtexi me? nùm vel mitigando levitèr dissimulavi sensus meos? nùm Gratiæ erubui Evangelium, quod libentèr divi Pauli Evangelium nominarem. Cum enìm Evangelistæ quatuor seriem vitæ Christi narraverint inter homines degentis, videtur id sibi sumpsisse magnus gentium Apostolus, ut Gratiæ Mysterium, & Christi in animabus regnantis imperium explicaret.

Is porrò fuit illius Decreti tùm primùm promulgati successus, ut meam omnem longè vicerit expectationem: non solùm Romæ, & in Galliâ frequenti omnium consensu ac plausu exceptum est; sed illæ etiam laudes undècumque consecutæ sunt, quas profectò nunquàm expetivissem. Utinam litteras sedulus asservassem, quæ passìm ad me eâ de re scriptæ sunt? à quibus autèm scriptæ viris? à viris omni suspicione immunibus, à viris inter præstantissimos Christianæ Religionis tutores insignibus, quorum suffragiis jacerent penitùs obruti Censores vel audacissimi. Verùm enimverò non erat ea mens mihi, ut quemquam obruerem. Nec sanè cogitabam eô rem venturam unquàm, ut alienis hisce, atque externis egerem testimoniis ad tuendam Doctrinam ejusmodi, quam semper arbitratus sum, & nunc perindè arbitror, omnium maximè in Ecclesiâ comprobatam.

Aliquas tamen ex illis Litteris, ità volente Deo, recuperavi, unam ab Eminentissimo Cardinali *Destrées* mihi scriptam, alteram ab Archipræsule Cameracensi, tertiam à Carnutensi Episcopo nupèr vitâ functo, aliam à Tullensi, nunc Meldensi Præsule, aliam à spectatissimo Sacerdote Tronsonio, qui multos per annos sancti Sulpitii Seminario præfuit, postremam deniquè ab illustrissimo Duce Beauvilliero, cujus singularis pietas, & notissimum omnibus in Jansenismum odium, ipsius testimonio ponderis addunt quamplurimùm. Illarum tibi Litterarum exempla mitto quæ, ut arbitror, non sine voluptate leges, quæ cum legeris, vix ac ne vix quidèm poteris intelligere, quî fieri potuerit ut Decretum illud tantòpere probatum, tot celebratum laudibus ausi sint quidam *Fidei Jansenistarum* nominare *Professionem*. Disces quoquè indè vivere etiamnùm apud nos homines qui temporum Fidem habeant, non Ecclesiæ, quæ nunquàm mutatur, juxtà illud Tertulliani. *Regula Fidei una omninò est, cui nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia, non privilegia Regionum.*

Probl. vulgat. an. 1698.

Tertull. lib. de veland. virginib. c. 1.

Redeo nùnc ad incœptam de Libro illo narrationem, cujus occasione tot hodiè procellæ in Ecclesiâ concitantur. Versabatur ille jam tùm in omnium manibus, cùm Diœcesi Catalaunensi sum Præfectus. Anni effluxerunt, ut tenes, jam triginta: illustrissimus Antistes D. Vialart cujus etiam nùm memoria apud Catalaunenses in benedictione est, illius Libri editionem primam approbarat, eamdemque cunctis gregis sui Pastoribus distribui curaverat. Animadverti ego Pastores ex illius lectione, nedùm quidquam detrimenti, plurimùm contrà cepisse utilitatis: nam illius ope Libri multò commodiùs cùm parvulis & simplicibus, tùm doctioribus & sublimioris ingenii viris Evangelia explanabant, cùm interim nulla apud eos curiositas, nulla de

Gratiæ materiâ contentio, nulla, ne levissima quidem, ad pravam doctrinam inclinatio animorum. Quæ cum ità se habere per annos plurimos essem expertus, haud abs re fore credidi, si Mandato in eam rem dato, declararem nihil obstare me, quominùs eodem, ut anteà, Libro uterentur.

Jam verò quo tempore mandatum hoc edidi, Doctorum multorum erat iste liber authoritate, ac probatione fretus, talemque apud omnes ubique commendationem habuerat, ut cùm fuisset jam typis mandatus sæpè, exhaurirentur officinæ Librariorum, atque ipse Decessor meus Parisiensis Archipræsul illustrissimus Harlæus, cujus insignis sagacitas, & acerrimus in Jansenismum usque vigilabat animus, Librum istum edi, vænire, distribui Parisiis, & in totâ suâ latè Diœcesi, pateretur.

Quin & multi Præsules illustrissimi non pietate minùs, & singulari, in mentibus ad bonos mores informandis, studio, quàm manifesto in novatores odio commendabiles, quorum nonnulli sic cursum hujusce vitæ brevis exegerunt, ut moriendo Sanctitatis famam reliquerint, ad id me vehementèr hortati sunt, ut illud opus quantâ possem authoritate fulcirem, quod paritèr idoneum rebantur, & plebi ad pietatem comparandam properanti, & Pastoribus saluti invigilantibus populorum.

Ac nominatìm vir pietate conspicuus D. *Durfé* Lemovicensis Episcopus à me postulavit, uti ab authore impetrarem, ut ex toto opere, quæ in Epistolas anni totius, & Evangelia commentatus erat, excerperet, & quam in novi, eamdem in veteris testamenti Epistolarum commentatione poneret operam, quo hæc omnia in exiguum contracta volumen, faciliùs & minori pretio emerent egeni, & in agris degentes Parochi ad habendam familiarem apud populum singulis dominicis Concionem. Cum scribebat ad me D. *Durfé* putabat

authorem esse mihi notissimum, nosque inter Literarum intercedere, aut amicitiæ societatem, quæ res illum fallebat; nulla enim cum illo tùm fuerat mihi necessitudo, neque ulla deindè usquàm fuit.

Non dubitavi quin ejusmodi postulationis suasores essent Sulpiciani Seminarii moderatores, quorum consiliis pius ille Præsul, cum illis unicè confideret, in omnibus utebatur. Lege & ejusdem, eâ de re, quam ad te mitto Epistolam, in quâ cum tàm apertè *Reflexionum* Librum comprobet, nunquid vereberis ne & ipse apud certos homines Jansenismi fautor habeatur? ô utinám esset in Ecclesiâ Gallicanâ magna Præsulum multitudo, qui tam sanctum Antistitem, & Fidei integritate, & ardore charitatis effusissimo referrent?

Statim atque, Deo volente, commissa mihi fuit Ecclesia Parisiensis, novæ illius libri editioni incumbere statuerunt Librarii. Cùm verò mihi ipsi per tempus, & negotia non liceret verba singula & sententias, ad Sanctuarii veluti lancem, ponderare, duxi adeò esse mei in sanam doctrinam propensissimi studii, ac prudentiæ, librum illum eruditissimis quibusque Theologis, accuratiùs, si fieri posset, & rursùs, excutiendum committere; quod cum singulari curâ, singularique diligentiâ perfecissent, renunciarunt, propositiones *quinque Propositionibus* contradictorias in eo deprehendi, quas ego unà cum illis reverâ recognovi, atque ut clariùs innotescerent lectoribus; quibus in locis jacerent, in materiarum indice notatum est.

Quidquid à quibusvis hac de re delatum ad me est, perlibenter accepi; quin & eorum qui animo erant minùs æquo judiciis indulgens, corrigi omnia volui, quæ mihi planum fuit debere mutari.

Bossuetius Meldensis Episcopus in partem hujusce examinis venire non abnuit: illudque tùm opus confecit quod nupèr editum in lucem est, in quo quid de illo libro sentiret, palàm omnibus est, *Justificat. des Reflex.*

nec quisquam suspicari meritò possit tantum,& tàm abundanti Doctrinâ virum, acerrimum insuper veræ fidei propugnatorem, aut non deprehendisse, aut dissimulasse errores, quibus librum illum scatere ubique contendunt. At si illustrissimum æquè ac doctissimum Præsulem fugit quis libri sensus esset, si ego & ille perperàm,& malè de illis propositionibus, quæ vituperantur hodiè, judicavimus, & accepimus eas juxta sanctorum Augustini & Thomæ principia; at sanè absque errandi formidine contendimus, verissima esse illa Theologiæ Dogmata quæ magnus ille Gallicanæ Doctor Ecclesiæ stabilivit in illo scripto, quo Librum *Reflexionum Moralium* ab errore probavit immunem, quando eadem prorsùs illa sunt, quæ summi Pontifices præ cæteris sunt secuti in materiâ Prædestinationis & Gratiæ, cum in Congregationibus *de Auxiliis* super eâ re disputatum est.

Ad scribendum autèm Meldensem Episcopum maximè impulit Problema nefarium, quod non sine omnium offensione in lucem anno 1698. prodiit: istius Libelli Author *Reflexiones* in novum Testamentum omnibus Episcopis denunciabat; atque indè Propositiones exscripserat plurimas, in quibus totum Jansenismi venenum contineri volebat. Meministi quæ sors istius libelli fuerit, Parisiis ex Senatus consulto flammâ vindice crematus, Romæ à summo Pontifice Innocentio XII. damnatus est, quæ censura, saltèm indirecta quædam, & tacita comprobatio visa fuit *Reflexionum* quas Problema culpabat; & sanè, inquiebant, damnare Romæ Libellum ad id planè conflatum, ut denunciarentur impugnarenturque *Reflexiones*, quid aliud videri potest, quàm earumdem non obscura comprobatio.

Cæterùm operæ pretium est attendere, opus hoc non esse Dogmaticum, in quo verba sint scrupulosiùs expendenda, ac veluti trutinanda, sed opus ad mo-

res, & pietatem pertinens, ubì quæ sub stilum cadunt, minori cautione ac penè negligentiùs admittuntur. Sic & sancti Patres cum iisdem de rebus agerent, minùs in verborum delectu laborarunt; quin etiam quotidiè videmus ab hominibus qui à Jansenismo longè abhorrent, libros ad excitandam pietatem compositos Fidelibus tradi, in quibus occurrunt multæ voces, quas in jus nemo vocat, quæ tamèn, si summo jure expendantur, non censurâ dignæ minùs fuerint, quàm quæ hodiè tàm acritèr exagitantur.

Undè qui Librum, pendendo singula, perlegerunt Censores, existimarunt, si quæ in illo Propositiones inessent minùs accuratæ, eas esse condonandas, cum facilè possent ad verum bonumque sensum revocari; & certè res tamdiù itá fuit, nemine culpante, quamdiù Mandatum meum, aut si ita volunt, approbatio mea non accęssit.

Quod pertinet ad illa quæ seditiosa nuncupantur, quæ tamèn reverâ non sunt ejusmodi, nisi quatenùs pro arbitrio reprehendentium adaptantur; multa ego reperi in eo Libro ad stabiliendam Regum authoritatem ad imperandum subjectis Populis in Reges suos obsequium tàm potentia, tàm efficacia, ut facilè crediderim cætera, quæ occurrere poterant, non tàm ipsam lacessere authoritatem, quàm vituperare authoritatis abusum: prætereà cùm illa loca ecclesiasticas potestates magìs, quàm sæculares spectare videantur, putavi utile nobis, Evangelicisque Pastoribus capiendum indè documentum, ut commissam nobis Provinciam ad exemplum normamque Christi disceremus administrare, hoc est cùm singulari mansuetudine, & cordis humilitate, non cùm imperio, ac superbâ quâdam dominatione, juxtà illud Filii Dei ad Apostolos: * *Reges Gentium dominantur eorum ..... vos autèm non sic.* * Luc. 22. 25. & 26.

Ad hæc quòquè subjiciam cùm perstiti in concedendâ legendi Libri hujus licentiâ, non in animo

fuisse mihi, illum tanquàm fœtum proprium adoptare, meosque facere omnes sensus in quos distrahi potuisset; nemo nescit magnum esse discrimen operis inter alicujus authorem, ejusdemque probatorem; quod & si ipse confecissem, libentèr Augustini secutus exemplum, refellerem si quid inesset vituperatione dignum, penitùsque resecarem. Nec me præterit quod Spiritus-Sanctus de multiloquio protulit, & quàm difficilè sit in opus longum, ubi tàm varia rerum argumenta, non subrepere sensìm sine sensu menda quædam ac nævos, illius maximè generis in quod sollicitè admodum, & censurâ severissimâ cum summâ inveniendi cupiditate inquiritur. Intelligo etiam quàm laudabile sit abjicere se, & mentem deprimere ad conspectum veritatis.

Verùm mihi cum plurimùm micare luminis in illo Libro, passìmque occurrere sanctorum Patrum viderentur sententiæ graves, quæ possent Fidem alere fidelium, & acuere pietatem, nolui Catalaunensem populum eo, quem jam ante ceperat, fructu privari. Contendere autem, quemadmodùm quidam ausi sunt, nihil in illo opere sanum esse, corrupta omnia medullitùs, absurdum sanè, & stultissimum ausim ego asserere, atque eos qui sic loquantur, aut nunquàm legisse librum, aut eorum animos in partem contrariam præfractè & turpitèr esse præversos. Quod porrò prodigium illud est! Volunt Librum illum lethifero hæreseos veneno refertissimùm, immò perniciosissimum omnium quos unquam parturierit hæresis; & per annos triginta non Sacerdotes, non Doctores, nec Laïci, nec Religiosi viri, non Episcopi, non Cardinales, non amici, non inimici, nemo omnium sensit, nemo odoratus est: de pestifero calice Babylonis biberunt omnes, atque omnes incogitantes, inscii, veneno sunt inebriati.

Vides, cujusmodi criminis hodiè coarguar,

nempè Librum probavi quo tempore laudabatur ab omnibus, tempore quieto & pacifico, cum si quâ in re sensus aliquis dubius ac malus inesse poterat, in bonum invertebatur, nedùm bonus detorqueretur in pravum. Damno, inquam, ex animo, ut jam ante damnavi, malos sensus omnes quos istis *Reflexionibus* affingi placet, maximè illos qui renovare videantur, aut juvare hæreses proscriptas in famosis illis quinque propositionibus è Jansenii libro extractis. Ac testem Deum appello me nunquàm alitèr quàm in sensu Gratiæ efficacis, & gratuitæ Prædestinationis *Reflexiones* easdem esse interpretatum, hoc est juxta veram sanctorum Augustini & Thomæ sententiam, qualem ego jam exposui anno 1696. non qualem falsò tribuunt Jansenistæ sanctissimis his Doctoribus, quorum scripta, ut dixi, doctrinamque venerabor æternùm, non ita tamèn, ut interdicam ne scholarum aliarum Theologi sectentur opiniones ab Ecclesiâ non prohibitas.

Ubi has conflari turbas & contentiones animadverti, si meo paruissem ingenio, placebat edicto palam proposito hortari omnes, ut si quid qui in librum istum animadvertissent, illud omne mihi credere ne gravarentur; illorum ope & diligentiâ adjutus, sic mutassem, sic emendassem quidquid pravis fuisset obnoxium sensibus, nihil ut in censuram incurrisset eorum quicumque certam in judicando regulam adhiberent, quique apprimè certò designarent quas damnandas esse propositiones judicarent.

Quâ in re divi Hieronymi præscriptum aut normam essem secutus, quâ vult in Librorum Lectione. * *Ut bona eorum eligamus, vitemusque contraria.*

* Quia parvitatis meæ sententiam quæris, utrum secundum fratrem Faustinum penitùs respuendus sit, an secundum quosdam legendus ex parte; Ego Origenem propter eruditionem, sic interdum legendum arbitror. Quomodo Tertullianum, Novatum, Arnobium, Apollinarium & nonnullos Ecclesiasticos scriptores Græcos paritèr & Latinos. Ut bona eligamus, vitemusque contraria, juxtà Apostolum dicentem, *omnia probate, quod bonum est tenete.* 1. *Thess.* 5. 21. Cæterùm qui vel in amorem ejus nimiùm, vel in odium stomachi sui pravitate ducuntur, videntur mihi illi, maledicto Prophetico subjacere: *Væ his qui dicunt bonum malum, & malum bonum, qui faciunt amarum dulce, & dulce amarum. Isa.* 5. 20.

Nec enim proptèr doctrinam ejus, prava suscipienda sunt dogmata, nec proptèr, dogmatum pravitatem, si quos commentarios in Scripturas sanctas utiles edidit, penitùs respuendi sunt. *Hieron. Epist. 56. ad Tranquillinum.*

At nolo mihi uni credere arrogantiùs: spontè fateor, modò sarta tecta sit veritas, atque integra ministerii mei Religio, quas vel vitæ dispendio mihi tuendas arbitror, debere me legitimæ authoritati subjacere, atque omnes effusâ sine modo charitate complecti.

Qua propter palàm ego dixi, & coràm quibuslibet, me nunquàm aut turbaturum, aut turbari & dividi passurum Ecclesiam studio tuendi Librum quo possit carere Religio: meque si summus Pontifex æquum duxerit Librum hunc consueto more proscribere, ejus Constitutionem, & Censuram cum summâ veneratione excepturum, atque intèr primos veri perfectique exemplum obsequii ex corde & animo præstiturum. Et sanè gratissimum mihi accideret, maximoque honori ducerem à Sanctissimo Pontifice doceri me, cùm cætera, tùm præcipuè quæ sit ratio tutissima de rebus tam subtilibus, tàm reconditis, tàmque gravibus emendatè disputandi.

Quæ me nunc decorat, Sedique Apostolicæ conjungit arctissimè Romana purpura, pro suo jure reposcit, id usquè ut sentiam; quamquàm non illa mihi hos reverentiæ sensus attulit, jam antè Purpuram erat mihi insita naturâ, & multis in me rationibus consolidata propensio: nunquàm non fui cunctis Constitutionibus Apostolicis obsequentissimus: & quidquid ubicumque in me fuit authoritatis, illud omne in id contuli, ut iisdem omninò ab omnibus obtemperaretur. Aversatus usquè sum, & aversor etiamnùm omnes in materiâ Fidei novitates; nullam non insector; & vehementissimum illud studium, quo flagrare per totum vitæ cursum in Jansenismi errores cupio, non tamèn restinguet ardorem quo me decet inflammari adversùs perversas cujuslibet generis opiniones.

Hæc quæ nùnc tecum privatìm, si per vicos, & compita, & quod aiunt, suprà tecta prædicem, metuo tamèn, ne non sim fidem facturus iis omni-

bus,

bus, qui in cæteris fortassè nimiùm remissi, in hâc unâ re acerrimi, visi sunt hactenùs in iis cæcutire quæ strenuè peracta sunt à me ad exterminandas novitates: nàm, non mentiar, accidit nùnc mihi quid ei simile quod olim in deserto Syriæ D. Hieronymo querenti se ab adversariis exagitari indignis modis supèr vocabulo Hypostaseos. *Si per illud vocabulum*, inquiebat, *personam intelligunt, tres esse in Deo indefessâ voce pronuncio, si Substantiam interpretantur, unicam in Deo, unamque Divinitatem affirmo; sic quamlibet in partem res agatur, Hæreticus esse nequeo; nusquàm illis à me tamen potest fieri satis, quotidiè exposcor fidem, quasi sine Fide renatus sim; Confiteor, ut volunt, non placet, subscribo, non credunt; unum tamen placet ut hinc recedam.*

Hæreticus vocor Homousion prædicans Trinitatem. Sabellianæ impietatis arguor, tres subsistentes, veras, integras, perfectasque personas indefessâ voce pronuncians. Si ab Arianis, meritò. Si ab Orthodoxis, qui hujusmodi arguunt fidem, Orthodoxi esse desierunt. Aut si eis placet, hæreticum me cum Occidente, hæreticum cum Ægypto, hoc est cum Damaso, Petroque condemnent.... non mihi conceditur unus angulus Eremi. Quotidie exposcor fidem, quasi sine fide renatus sim. Confiteor ut volunt, non placet. Subscribo, non credunt; unum tamen placet, ut hinc recedam jam jam cedo. *Epist.* 15. *ad Marcum Presbyt.*

Tandèm vir sanctissimus Eremo cessit tanto turbine tempestatis abreptus: at illa vincula quibus impeditus Eremo adhærebat, longè discrepabant ab illis vinculis quæ potenti manu divina Providentia mihi connexuit, quibusque me cum creditâ mihi plebe arctissimè constrinxit: vel, ut veriùs loquar, ideò reliquit Eremum, quià nulla eum Eremo lex addicebat. Novit Deus, cui perspecta funditùs animi mei arcana sunt, si impositum meis jam nimiùm diù humeris onus liceret deponere, rem mihi longè multò quàm cuiquam hominum fore gratiorem, meque incredibili perfusum iri lætitiâ, si demissâ de aliorum salute curâ, meæ uni totus possem saluti invigilare. Verùm ex illis causis, quibus per Concilia fas est Episcopo susceptam semèl abdicare Provinciam, scrutanti nulla occurrit quæ me spectet; non enim intèr legitimas secedendi causas video recenseri, nec difficultatem temporum, nec amorem quietis, non animum


aut abhorrentem à tolerandis incommodis, aut metuentem certamina contrà injustitiam subire, aut in veritate, propriâque innocentiâ defendendâ remissiorem: quin imò passim ubique incitantur Ecclesiæ Gubernatores, uti dùm sævit tempestas à Gubernaculo ne tantillùm recedant.

Cæterùm constat non esse undè metuam ne Clerus Populusvè Parisiensis adeò sit alienus à me, eos ut cogar deserere: nàm cum anteà multa publicaque dederunt studii in me sui obsequiivè testimonia, tùm verò hoc tempore longè plura clarioraque, ex quo D. D. Lucionensis ac Rupellensis Episcoporum manavit in vulgus Epistola; quæ (dicam enim quod sentio) visa est nihil aliud attulisse, quàm ut ex eâ ovium fides in Pastorem, si fieri posset, accresceret. Quàmobrem si divus Paulus dùm queritur sibi minùs à Corinthiis in amore responderi, affirmat tamèn esse paratum se ut omnia impendat, & supèr impendatur ipse pro eorum animabus, næ ego iniquus admodùm sim, si otium meum saluti anteponam ejus Populi, quem novus in me amor, & intimus pietatis affectus multò mihi chariorem debet efficere, quique cum meum nunc singulare gaudium sit atquè solatium, futurus est, miserante Deo, corona & gloria mea coràm Domino Jesu-Christo in die supremi Adventus.

Calumniantur me certi homines Doctrinæ causâ. Scis ipse certissimè omnium, Præsul Illustrissimè, meum hoc crimen, præstantissimorum cùm virtute tùm scientiâ virorum, quibuscum minimè sum conferendus, commune crimen extitisse; sic vexati olim Athanasii sunt, sic Basilii, Chrysostomi, Gregorii Nazianzeni, Hieronymi, ipse Joannes dilectissimus Magistro Discipulus plenus Gratiâ & Sanctitate vir, ipse, inquam, docet nos, verbis malignis garriisse in se malevolos. Meus autèm in hoc totus dolor est, quod ab illorum Christianæ Reli-

gionis Heroum virtutibus absim quàm longissimè. Tuum est, optime vir, qui me, quod minimè dubium est, amas ex animo, tuum est à Christo Domino sollicitâ prece flagitare, ut, quandò me aliquantulùm earumdem molestiarum participem esse vult, plurimùm etiam in me conferat illius Gratiæ, & fortitudinis, quibus Sanctissimi illi homines abundabant; Det insupèr Deus immortalis, ut in ejus lumine perpetuò ambulem, ejus Spiritu regar assiduè, noverimque in omni re quid dicendum, quid tacendum, quid contemnendum, quidve metuendum, quid omittendum, quid exequendum; ut deniquè inter hasce turbulentissimas perturbationes rerum in Fide constanti, conscientiâ purâ, vitæ ratione prudenti, ejusque maximè congruâ voluntati, æternùm perseverem. Valè Præsul illustrissime, & charissime; Parisiis die vigesimâ Decembris. Anno reparatæ Salutis humanæ millesimo septingentesimo undecimo.

† L. A. CARD. NOALLIUS.



MANDATUM



MANDATUM

EMINENTISSIMI

CARDINALIS NOALLII

ARCHIEPISCOPI PARISIENSIS

Quo legi prohibentur ſcripta quædam in lucem edita ſub titulis Paſtoralium inſtitutionum & Mandatorum, D. D. Epiſcopis Lucionenſi & Rupellenſi, necnon D. Epiſcopo Vapincenſi, attributorum.



UDOVICUS-ANTONIUS NOALLIUS, Divinâ permiſſione Cardinalis, Preſbyter ſanctæ Eccleſiæ Romanæ, titulo beatæ Mariæ ad Minervam, Archiepiſcopus Pariſienſis, Dux ſancti Clodoaldi, Franciæ Par, Ordinis Sancti-Spiritûs Commendator, Sorbonæ Proviſor, & Regiæ Navarræ Superior: omnibus noſtræ Diœceſis Fidelibus, Salutem, & Benedictionem.

Plurimi Rectores Eccleſiarum Paræcialium, multique Communitatum præfecti ex hac urbe principe, ad nos detulerunt, non ſine intimo quodam ſenſu doloris animadvertere ſe, ſpargi non ita pridèm per totam hanc latè Diœceſim, ingentem ſcriptorum multitudinem, quorum alia ſine Authorum aut Typographorum nominibus, alia ſub titulis præceptionum, & Mandatorum Epiſcopalium, in quibus multi continentur errores,& fidei,

& morum Christianorum integritati repugnantes.

Id verò malum videri sibi hôc periculosius, quòd si nihil adversùs ista mandata, ubique ad valvas publicè affixa, Episcopali insuper authoritate in speciem munita, statuamus; ex silentio nostro Fideles collecturi sint, per nos licere sibi, comprehensam in illis pravam doctrinam sequi.

Et quidèm Mandatum sub speciosis D. D. Lucionensis & Rupellensis Præsulum nominibus editum, dùm traditos à Jansenio molitur errores convellere, è quinque Propositionibus favere tertiæ, ac renovare vicesimam sextam, & vicesimam octavam Propositiones in Baïo à summis Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. damnatas.

26. Omnia opera infidelium sunt peccata.

28. Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet.

Mandatum autem D. Episcopo Vapincensi adscriptum, esse ejusmodi ut ne dùm in Ecclesiasticorum animis debitam excitet venerationem erga divi Augustini de Gratiâ Doctrinam, cujus verba, & sententias Ecclesia in suis Conciliis usurpavit ad conscribenda Fidei documenta super eâ materiâ; tanto contrà contemptu de præstantissimo illo Doctore loquatur, ut velle videatur fideles ab ejus operum lectione, tanquàm à perniciosâ Doctrinâ, deterrere.

Quanquam vero paucis admodùm abhinc diebus Mandatum istud in publicum prodierit; tamen, quod in eo plurimæ morum regulæ, divi Caroli institutionibus, & Tridentinæ Synodi Decretis planè congruæ improbantur, laxioris de moribus Doctrinæ fautores jam tantùm ex eo virium animorumque recepisse, ut vel hæc sola ratio debeat eos omnes impellere quibus est cordi salus animarum, ut ad nostram authoritatem, super interdicendâ talis mandati lectione, confugiant.

Quod si longiùs ejusmodi sanctissimarum legum abrogationes serperent in vulgus, futurum brevi, ut & qui peccant ex inveteratâ consuetudine, putent se sine ullâ probatione, absolvi debere à pec-

catis; & ſcelera quæque, legi naturali ex toto contraria, invincibilis ignorantiæ prætextu excuſentur; & indurati, quod æquo Dei judicio poſſunt interdùm relinqui ſibi ipſis, contendant ſe poſſe pravis corruptæ mentis ſuæ affectibus impurè obſequi; denique Propoſitiones omnes quas tantâ cum æquitate ſummi Pontifices, & Clerus Gallicanus in Comitiis Generalibus anno 1700. proſcripſerunt, à defenſoribus corruptæ de moribus Doctrinæ, protinùs iri renovatum.

Inde adeò ſtudioſiſſimi illi ſuarum ovium Paſtores, conterriti periculo, ad quod ſibi commiſſi Fideles, propoſitâ tàm perverſarum opinionum dulcedine, adducuntur, noſtram opem hôc majore cum fiduciâ implorant, quod cum authoritatem nobis quantùmvis indignis, à Spiritu-Sancto creditam ad regimen hujus Eccleſiæ, reverentur: tùm probè ſciunt, nullam in hancce Diœceſim, novam Doctrinam, conatam eſſe irrepere, quin protinùs illam ſine ullâ perſonarum acceptione, debellaverimus.

Anno quidem 1696. Cenſuras adverſus errores Janſenii à nobis renovatas, quo ſimul Decreto, traditam à ſanctis Patribus de Gratiâ & Prædeſtinatione diſciplinam docuimus.

Anno 1697. Inſtitutione noſtrâ Paſtorali de Spiritualitate, Quietiſmi errores fuiſſe confixos, deliramenta diſſipata.

Anno 1700. Cenſuram à Clero Gallicano latam in Comitiis generalibus contra ſolutiorem Doctrinam de moribus, cui omnium primi ſubſcripſeramus, à nobis pariter omnium primis fuiſſe in hacce Diœceſi promulgatam.

Anno 1703. Noſtrum de condemnando conſcientiæ caſu Decretum, cæteris aliorum hujus Regni Antiſtitum Decretis præiviſſe: quâ in re nobis id laudi datum eſt, & fuit ſolatio longe gratiſſimo, quod ſancta Sedes Apoſtolica Decretum idem per capita ſingula confirmavit.

Item, anno 1706. Theologicas P. Juenini institutiones, ubi primùm ad nos delatæ ſunt, à nobis continuò fuiſſe condemnatas.

Ex illo denique tempore non deſiiſſe nos, iteratis Paſtoralibus Epiſtolis ac Mandatis exhortari, urgere, condemnare, ſi qui viſi ſunt Eccleſiæ debitum obſequium non præſtare, imprimìs Regiiportûs in Campis Moniales, apud quas à nobis ſcripta menſe Decembri proxime elapſo Epiſtola tantùm valuit, ut ex reliquis quæ erant exiguæ admodùm numero, duæ perlectâ Epiſtolâ, ſummorum Pontificum Conſtitutionibus obtemperaverint.

Tot ac tantis rerum momentis impulſi vigilantiſſimi Paſtores, aſſerunt ſperare ſe, nos non diutiùs paſſuros teri Fidelium manibus libros, quibus errores in Baïo Janſenioque proſcripti confirmantur, quique cum meras opiniones in Theologiâ modò permiſſas, tanquam fidei dogmata ſtabiliunt: tùm pro hæreticâ repudiant Doctrinam in Scholis receptam communitèr, & à Catholicis Doctoribus longè multis, propugnatam, quibus denique libris, nimiæ ſeveritatis, falſitatis, temeritatis, ſcandali, erroris, & vigentis hoc tempore Rigoriſmi, inſimulantur ſapientiſſimæ regulæ, quas Clerus Gallicanus Divum Carolum ſecutus, in adminiſtrando ritè Pænitentiæ Sacramento præſcripſit à Confeſſoribus obſervari.

HIS DE CAUSIS, habitâ ratione querelarum delatarum à tot Paſtoribus, totque viris aliis, quos & ſcientia ſua, & pietas, & ardens in omnes novitates ſtudium commendat, excuſſimus per nos ipſi, atque à plurimis Theologicæ Facultatis Pariſienſis Doctoribus diligentèr expendi curavimus accuſatas apud nos Propoſitiones, variaque ſcripta, unde illæ deſumptæ ſunt. Poſtea conſultis non paucis Præſulibus, imploratoque Præpotentis Dei, qui luminum eſt Pater, auxilio, ad elevandam animarum offenſionem, in noſtrâ

jam latè Diæcesi per ejusmodi scripta concitatam, nefas esse duximus, in tanti momenti negotiis servare silentium.

Incumbit autèm nobis hôc major in ejusmodi scripta insurgendi necessitas, quod ex solâ illorum lectione persuasum habuimus, non potuisse illos Antistites quorum nomina præferunt, partus edere tàm vitiosos, quos si tantis Præsulibus affingamus, facturos illis esse nos injuriam arbitremur: Videamur de illorum fide dubitare, ac suspicari illos gerere se Patronos doctrinæ planè adversantis Decisionibus Ecclesiæ, imprimis censuræ anno 1700. solemnitèr factæ in Comitiis Cleri Gallicani, cui nos æquum est opinari, ab ipsis reverentiam quam debent, exhiberi.

Malè præterea de illorum sapientiâ sentiamus, illos si dùmcommisso sibi gregi totos invigilare necessè est, credamus curas, & cogitationes extendisse in Parisiensem quoque Diœcesim, cujus onus non fuit ipsis à Deo demandatum, cuique siquid est opus, ne possunt quidèm, præ locorum distantiâ, cognoscere.

Multarum denique rerum aliarumconscios eosdem judicemus; evertisse nimirùm leges quas habet ecclesiastica disciplina constantissimas, oblitos esse omninò decoris officiorumque quibus civilis vita continetur, & Communionem Episcopalem diremisse; si veniat nobis in mentem, illorum jussu affixa ubique Lutetiæ per compita, ac per privatas domos distributa, nobis insciis, Mandata & Pastorales Institutiones in gratiam ejus Populi, cui sanè pabuli nihil debent: maximè cum tot publica nos hactenus nostri in confutandis quibusque novitatibus studii, dederimus argumenta.

Absit igitùr ut ullis è Clero Gallicano Episcopis consilia scriptaque, ab illorum dignitate tantòpere abhorrentia, tribuantur. Apparet luce clariùs fraudem subesse hominum Episcopatui infestorum

qui ausi sunt Præsulum abuti nominibus, ut illos à se ipsis sejungerent, eòque faciliùs Ecclesiæ Doctrinam succuterent.

Inurat certè maximam universo Clero Gallicano injuriam, qui suspicetur, in Galliâ vel unum extitisse Antistitem, qui magni Augustini Doctrinam contemneret, * quam summi Pontifices adoptarunt, judicemque, & arbitram in controversiis de Prædestinatione, & Gratiâ adhibuerunt.

Speramus fore propè diem, ut Clero utrique nostro, sæculari, & regulari proponamus Pastoralem institutionem ad obterenda pravarum opinionum vestigia, si qua fortè tot libelli per hanc Diæcesim tantâ cum licentiâ disseminati, potuerint Fidelium animis infigere.

Interìm, ut malo nascenti, ne desit aliquod impræsentiâ remedium, constitutâ juris pænâ. VETAMUS omnes nostræ Diæcesis Fideles legere, vel servare domi scripta in publicum evulgata sub prætenso titulo præceptionum, & Pastoralium Institutionum D. D. Lucionensi & Rupellensi Episcopis attributarum, necnon Mandati editi sub nomine D. Vapincensis Episcopi. Mandamus, ac præcipimus omnibus Paræcialium ecclesiarum Rectoribus, nobis subditis, ut inter Missarum solemnia nostrum hoc Mandatum publicè legant: Item Præfectis omnium Communitatum, sæcularium, & regularium, seu se ferant, seu non ferant immunes, ut illud idèm frequenti Conventu legendum curent; quâ de re Promotorem nostrum faciant intrà spatium mensis unius, certiorem. DATUM Parisiis in Archiepiscopali nostro Palatio, die vigesimâ octavâ

* Sanctus Augustinus, cujus doctrinam secundùm prædecessorum meorum statuta, Romana sequitur & servat Ecclesia. *Joan. II. Epist. 3. ad Sen.*

Dicam rationes propter quas adstringere statui totam hanc disputationem ad normam doctrinæ sancti Augustini de gratiâ. Prima est, quòd si teste beato Prospero viginti annorum spatio acies Catholicæ Ecclesiæ ita dimicavit pro gratiâ contrà Pelagianos, ut tandem Augustino duce vicerit, oportet etiam ut in causâ consimili eundem ducem agnoscamus & sequamur. Secunda est, quod idem Sanctus nihil videtur prætermisisse eorum quæ ad præsentes controversias pertinent. Tertia tandèm ratio est, quòd cùm multi Pontifices & prædecessores nostri hæreditario jure eam in Ecclesiâ relinqui voluerint, æquum non est ut patiar illam hac hæreditate privari. *Clem. VIII.*

Alex. VII. Præclarissimorum Ecclesiæ Doctorum Augustini & Thomæ Aquinatis inconcussa tutissimaque dogmata.

Aprilis anno millesimo septengentesimo undecimo. Signatum, LUDOVICUS ANTONIUS CARD. NOALLIUS, ARCH. PARIS. *Inferius*, per Eminentissimum Cardinalem,

CHEVALIER.

